

BX1936

.5

M3

V.3



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

CAPILLA ALFONSINA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
U. A. N. L.

LIBER QUARTUS

DECRETALIUM GREG. IX.

Libro præcedenti explanatæ sunt causæ civiles ecclesiasticæ, à potiori Clerum concernentes. In hoc examinandæ veniunt causæ matrimoniales, quæ licet propriæ sint laicorum, tamen iudicibus ecclesiasticis et animarum curatoribus scitu sunt valde necessaria. Cùm verò matrimonium à Christo Domino venerabilibus Sacramentis annumeratum sit, in eo contrahendo et iudicando non jura civilia, sed divina et canonica instituta servanda sunt: ac proinde solers iurium studiosus faciliè emendabit leges sæculi, quæ in hac materia canonicis obviant institutis.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS. ^a

4. Præsens rubrica duas habet partes: alteram de sponsalibus strictè sumptis, prout ordinantur ad matrimonium; alteram de ipso matrimonio. Neque tamen rubrica ista adæquat nigrum, cùm in hoc etiam agatur de quibusdam impedimentis matrimonii. Unde expediet post tractationem de sponsalibus et matrimonio generalem doctrinam præmittere de iisdem impedimentis, et in specie ea examinare, quæ in hoc libro propriis titulis carent.

^a—Agitur de his in Sexto *h. t.* in Decreto 27. *q.* 2. et 32. *q.* 1. 2. et sparsim à causa 27. usque ad finem 36.—In Trid. sess. 24. *de Sac. matrimonii* cum subiectis Canonibus, et decreto *de refor. matr.*—In Institutionibus *lib.* 1. *tit.* 10.—In Pandectis *lib.* 23. *tit.* 1. 2.—In Cod. *lib.* 5. *tit.* 1. et 4. Nov. 22.

007604

§. I.

De sponsalibus.

¶ 2. *Nota.* Nomen sponsalium derivari à spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde et sponsi sponsæque appellatio nata est (l. 2. 3. ff. h. t.) Illi verò, qui spondebat, quod viro stipulanti fœminam in uxorem darent, dicebantur sponsores; et actus quo cæremonia ista peragebatur, dictus est sponsalia. Omissis aliis acceptionibus, sponsalia in jure præsertim canonico dupliciter accipiuntur:—1.º Strictè seu specificè, prout important promissionem futuri matrimonii.—2.º Latè, et cum addito sponsalia de præsentì, prout important matrimonium ratum; cujusmodi significatio est frequens in jure tit. de sponsa duorum c. 22. et 31. h. t. l. 1. C. si nuptiæ ex resc. etc., firmaturque usu quotidiano, quo recens matrimonio juncti dicuntur sponsi et sponsæ; ut proinde non sint curandi, qui, cum res ipsas carpere non valeant, nomina carpunt. Hic agendum de sponsalibus primo modo spectatis.

3. Q. I. Quid sint sponsalia quoad rem?

R. Sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum (l. 1. ff. h. t.) Seu sponsalia sunt: contractus consensualis, quo vir et mulier reciprocè consentiunt super futuro matrimonio legitime inter se ineundo: ita in re comm. Ratio introducendi sponsalia fuit, tum ut matrimonium non temerè, sed cum magna deliberatione eligeretur; tum ut daretur competens terminus ad impedimenta detegenda. Simpliciter autem loquendo, matrimonium contrahi valet absque præviis sponsalibus, ut clarè colligitur ex c. 9. 22. et 31. h. t. l. 9. ff. eod.—Nec est paritas à novitiatu: quod enim is præmitti necessariò debeat professioni religiosæ, habetur hodie jus clarum Trid. S. 25. c. 15. de Regg., quale jus non extat de sponsalibus matrimonio præmittendis.

Dicitur autem legitime ineundo, quia sponsalia validè non contrahunt, nisi illi, inter quos matrimonium consistere potest absque ullo impedimento juris naturalis et canonici; ne scilicet detur obligatio sponsalitia ad aliquid invalidum vel turpe adstringens. Unde defectu usus rationis sponsalia inire nequeunt infantes, furiosi, amentes, nisi in lucidis intervallis; perfectè ebrii; item, qui simul mutus, surdus et cæcus est, moraliter loquendo, vix aptus est ad contrahenda sponsalia, cum nec verbis, nec signis instrui possit de matrimonio. Denique sponsalia contrahere non possunt, quicumque laborant aliquo ex impedimentis dirimentibus aut impedientibus.

4. Q. II. Qualis esse debeat consensus sponsalitiis?

R. 1.º Debet esse certus super his numero personis: nam sicut matrimonii, ita et sponsalium objectum substantiale sunt personæ determinatæ in individuo; et consequenter error in persona ipso jure naturali vitiat sponsalia, cum errantis voluntas nulla sit, seu nullus consensus (l. 8. 9. C. de

J. et F. Ign.) Quòd si quis cum duabus vel pluribus simul contraxit, nullam determinatè tenetur ducere; sed, si velit matrimonium inire, unam ex his eligere debet, ex reg. 54. in 6. Hæc tamen electio cessat in casu, quo cum altera sponsa matrimonium subsistere nequit; ut si quis post sponsalia cum duabus sororibus inita, cum una illarum fornicetur; tunc enim defloratam obligatur ducere, quia cum altera ob impedimentum affinitatis nuptiæ consistere non possunt.

2.º Consensus sponsalitiis debet esse deliberatus, hoc est, cum tanta advertentia, quanta sufficit ad peccatum mortale, seu ad promissionem humano modo factam: ita comm. Nam sponsalia sunt contractus, seu actus moralis; ergò perfici debent consensu deliberato. Unde quia passio amoris, iræ, odii vel alia similis, rarissimè aufert usum rationis, non obstat valori sponsalium, nisi oppositum probetur: quo sensu explicatur l. 48. ff. de R. J.—Nec contrariatur Can. 5 si quis 2. q. 3. et Can. 21. de pœnit. dist. 1.; nam cit. c. 5. plus non dicitur, nisi quod convitium in ira dictum, vim accusationis non habeat, licet vim convitii habere possit. In Can. 21. dicitur, quòd discessio non statim faciat divortium, nisi deinde constet, quòd uxor diverterit animo perpetuam constituendi discessionem.

3.º Consensus sponsalitiis debet esse verus, et non fictus. Unde:—I. Vi fictæ promissionis nullus in foro interno obligatur ad contrahendas nuptias; nam sine animo se obligandi nulla nascitur obligatio fidelitatis aut justitiæ. At in foro externo, in quo verba censentur conformia menti, fictè promittens compellitur ad standum his sponsalibus, nisi probet fictionem: ut si vir illustris puellæ rusticæ promittat nuptias, cum talis jocari potius, quàm sponsalia celebrare præsumatur. Damna autem, quæ ex ficta promissione alteri parti inferuntur, in conscientia reparanda sunt ab eo, qui suo pernicioso mendacio seu delicto partem illam damnificavit.—II. Deflorans puellam sub ficta promissione matrimonii, in conscientia non tenetur determinatè ad illam ducendam: ita S. Ant. Bonac et alii contra Sanch., Schmier, Laym etc. Prob. ex cap. 26. hoc tit., ubi deflorator sub ficto contractu matrimonii non contrahit obligationem maritalem: quoniam dolus solummodò adfuit, et defuit omninò consensus; ergò ob eandem rationem deflorator non contrahit obligationem sponsalitiæ. Ratio est, quia obligatio ista determinata non oritur ex promissione deflorantis, cum sola promissio vera, et non ficta inducat obligationem; non ex contractu innominato; do usum corporis, ut me ducas; nam licet puella sub hac conditione offerat copulam, alter tamen hoc ipso, quod fictè promittat nuptias, eam non acceptat sub tali conditione; et consequenter ex hoc contractu inchoato à puella non obligatur. Denique obligatio ista non oritur ratione damni illati, quia hoc damnum aliter reparari potest, constituta vel aucta dote, vel alio modo. Si verò deflorator aliter damnum illatum reparare non posset, nisi per nuptias, tunc teneretur defloratam ducere; cum injustus damnificator eo modo, quo potest, teneatur damnum illatum resarcire. Hæc pro foro interno: in externo autem proceditur secundum antedicta.

Dices:—I. C. 1. de adulter. ibi. dotabit eam, et habebit uxorem.—II. De-

florator ex iustitia obligabatur habere consensum sponsalitiū verum, ergo illum supplere debet, ne aliud pro alio invitæ creditrici obtrudat contra l. 2. §. 1. ff. de R. C.—R. Ad l. particula et ex usu communi accipienda est disjunctivè per l. sæpe 53. ff. de V. S., quod etiam adversarij fatebuntur. In alternativis verò debitoris est electio ex reg. 70. in 6.—Ad II. D. A. Obligabatur, si copulam acceptasset sub ea conditione, sub qua fuit oblata, C. A. Si acceptavit sub ficta promissione, N. A.

4.º Consensus sponsalitiū debet esse *non merè internus*, verbis vel aliis sensibilibus signis manifestatus; nam sponsalia fieri debent modo humano, quo alii contractus, scil. per signa sensibilia indicantia internum consensum.

Et quidem:—I. Verba, quæ sunt signa nobiliora, intelligenda sunt secundum communem significationem aut morem patriæ; ita ut constet ea seriò prolata esse animo contrahendi sponsalia. Hæc verba: *nullam ducam, nisi te*, per se significant sola sponsalia conditionata: *si quam duxero, aliam non ducam præter te*. Nam in sensu juris particula *nisi* relata ad futurum, parit solum affirmationem conditionatam (lib. 21. §. 5. ff. de act. empt. l. 40. §. 2. ff. de cond. et demonstr.), licet relata ad præteritum vel præsens, ex negativa faciat affirmativam absolutam: v. g. *non habemus Regem, nisi Cæsarem*, hoc est Cæsar est noster Rex, et non alius. Hæc autem verba: *volo te habere in conjugem*, sunt ambigua, an sponsalia, an matrimonium significant? Hodie in locis, ubi Trid. viget, quæstioni huic vix est locus, quia matrimonium contrahitur coram Parocho cum solitis verbis et cæremoniis.—II. Annulli traditio, porrectio manuum et similia signa, de se non sunt sufficienter manifestantia consensum sponsalitiū, quia fieri possunt ex alio fine, v. g. amicitia vel amoris, etiam pravi, nisi mos patriæ vel aliæ circumstantiæ illa determinant ad significanda sponsalia: ut si tractetur de sponsalibus, et desuper sequatur traditio annullorum etc.—III. Taciturnitas, v. g. fæminæ, dum vir ei promittit matrimonium, non est signum sufficiens sponsalium, quia in his obligatoriis tacens non habetur pro consentiente, etsi forsàn internè consentiret; siquidem consensus in mente retentus, nihil operatur in contractibus humanis.—IV. Si parentes utriusque sexus pro liberis puberibus vel impuberibus, præsentibus vel absentibus contrahant sponsalia, hæc præsumuntur valida ex sola liberorum taciturnitate: ita clarè deciditur c. un. §. fin. de spons. impub. in 6. Ratio hujus specialis decisionis est, quando tenetur et potest contradicere, quia tacens, etiam in præjudiciosis, tunc habetur pro consentiente, nec tamen contradicit: quo sensu rectè intelligitur reg. 43. qui tacet in 6., sed dum parentes pro liberis contrahunt sponsalia, isti, si nolint ea fieri, tenentur et possunt contradicere mentemque suam aperire, ne alioquin peccent acta parentum contemnendo et eludendo; ergo si præsentibus taceant, vel absentibus, postquam resciverint, non contradicant, censentur consentire insponsalia à parentibus contrata. El hoc pro foro externo, in quo jus præsumit talem consensum ex eo, quod liberi voluntatem suam conforment justæ voluntati parentum, et hi optime velint liberis prospicere de futuro matrimonio. At pro foro interno, in quo præsumptio cedit veri-

tati, si liberi tacendo dissentiant, reipsa nulla sunt sponsalia, cum de essentia eorum sit consensus personalis. Hæc tamen dispositio, utpote correctoria juris naturalis, non est extendenda ad fratres, patruos, tutores, similesque personas, quæ sine mandato speciali sponsalia pro aliis contrahere nequeunt—Nec obstat c. 44. de rest. sp. liat. et cap. 1. de matrim. contrar.; nam in cap. 44. vel sponsalia non erant contrahita à patruo pro nepte, vel non erant valida. In casu cap. 1. cit. soror non tacuit, sed consensit expressè.

5.º Consensus sponsalitiū debet esse *reciprocus*; h. e., mutuò ab utraque parte datus, et mutuò acceptatus: nam sponsalia sunt contractus bilaterales, utramque partem obligans ad ineundas nuptias, ut insinuat Florent. lib. 1. ff. hoc tit. et Julian. lib. 11. eod. sponsalia, inquit, sicut nuptiæ consensu contrahentium fiunt; ergo. Unde promissio ab una parte facta, et ab altera acceptata, sine repromissione futuri matrimonii, non facit sponsalia, sed tanquam liberale et gratuitum pactum obligat solum promittentem, qui optime faciet præstigendo terminum promissario, ut, intra illum repr. mittat, prior promissio committatur. Si verò promissio matrimonii, etiam præsentis facta, non sit acceptata, nullo modo est obligatoria, cum non sit duorum in idem consensus (l. 1. §. 2. 3. ff. et c. 1. 3. de pactis.)

Dices:—I. C. 4. qui Cler. vel vov. sola promissio matrimonii inducit sponsalia.—II. Promissio acceptata virtualiter est repromissio, cum sicut nuptiæ, ita et sponsalia claudicare nequeant.

R. Ad I. In isto casu vir et mulier, mediante procuratore, verè consenserunt in sponsalia, ut ibi notat Glossa.—Ad II. N. A. nisi aliud excircumstantiis colligatur: ut si in præsentia testium ad sponsalia convocatorum puella acceptet promissionem, quia talis acceptatio censetur fieri animo ineundi sponsalia.—Nec urget paritas à matrimonio; quia hoc ex natura sua est conjunctio viri et mulieris, adeoque reciproce obligatorium: e contra promissio matrimonii potest esse, vel sponsalitia utrinque, vel merè liberalis et gratuita.

6.º Consensus sponsalitiū debet esse *liber* à coactione, quia libertas requiritur ad substantiam actus humani moralis. An verò sponsalia metu gravi injusto extorta valeant, controvertunt DD. Negant Abb., Covar., Laym., Schmier, Wex et plures alii: sed cum Sylv., Less., Perez., Pirh., Schmalz. et aliis suscribo sententiæ affirmanti sponsalia metu extorta valere ipso jure. Prob. I. Talia sponsalia valent *jure naturali*, quia metus non tollit voluntarium simpliciter; valent etiam *jure positivo* humano, quia nullibi irritantur expressè, neque tacitè in cap. 14. et 25. hoc tit.; nam jura ista de matrimonio loquentia, cum sint odiosa et juris naturalis correctoria, non debent porrigi ad sponsalia.—Prob. II. Sponsalia ista non officiant matrimonio, quia non obligant: neque sunt via ad matrimonium metu, sed purgato metu, spontè ineundum; neque nocent parti metum passæ, sed potius prosunt, quia in arbitrio ejus est, ut, vel rescindantur probato metu, vel si deinde commoda appareant illi, pars metum incutiens teneatur eis stare: neque ex alio fundamento tatis irritatio

eruitur; ergo. Porro pars metum passa, si urgeatur ad nuptias, habet exceptionem *quod metus causa* (§. 1. *Inst. de except.*); si verò se liberare vult ab obligatione sponsalium, habet actionem *quod metus causa* (*lib. 1. et 9. §. 3. ff. quod met. caus.*); si tandem spontè renuntiet exceptioni, seu actioni *quod metus causa*, tunc metus purgatur, et sponsalia evadunt plenè libera, obligantia utrinque efficaciter ad nuptias ineundas. Neque ratificatio ista, seu renuntiatio actionis facit nova sponsalia, cum ab altera parte non acceptetur, sed præcisè est conditio, qua posita, prior consensus acceptatus, qui ex causa metus potuit infirmari, fit firmus et efficaciter obligatorius; sicut accidit in aliis actibus metu gestis, cum pars metum passa renuntiat actioni metus, volendo stare contractu prius inito. Ex quo dissipantur ea omnia, quæ per longum et latum affert P. Wex.

Dices: I. *Cap. 11. ex litteris, de spons. imp.* sponsalia metu gesta dicuntur invalida.—II. Dispositum de matrimonio, censetur dispositum de sponsalibus (*l. 16. ff. h. t.*); ergo sicut matrimonium, ita sponsalia metu gesta non valent.—III. Pars metum passa multum gravaretur: nam contraheret impedimentum publicæ honestatis, et in casu quo metus probari non posset, vel iudex Ecclesiasticus ex malitia nollet rescindere sponsalia, cogeretur ad nuptias ineundas.

R. *Ad I.* Sponsalia ibi vel erant valida ex causa metus rescissa, si puella nollet expectare puerum: vel erant nulla ex defectu consensus, quia puella *nunquam eum voluit, nec vult in virum habere*. Ex quibus verbis patet, dissensum puellæ fuisse non tantum in translatione in domum pueri, sed etiam in ipsa desponsatione.—*Ad II.* Ubi diversa est ratio sponsalium et matrimonii, diversa est dispositio. Hic autem diversa est ratio; nam matrimonium ex natura sua est insolubile; et ideo jus vult illud esse spontaneum: econtra sponsalia ob metum et alias plures causas dissolvi possunt.—*Ad III. N. A. Ad Prob. R.* Impedimenta à jure introducta non gravant, ut patet in affinitate orta ex copula illicita. Alterum gravamen, si accideret, per accidens se haberet etiam in sententia adversariorum; nam si pars metum passa non posset probare metum, vel si iudex ex malitia probationes non admitteret, vel injustè pronuntiaret sponsalia esse valida, pars ista in foro externo, nisi appellaret, cogeretur ad nuptias; sed hæc in foro interno, stante metu, non valerent in utraque sententia. Ex his patet, quòd metus sponsalibus immixtus nullo modo influat in matrimonium, quia hoc non aliter valet, nisi metu purgato per renuntiationem actionis, *quod metus causa*.

7.^o Sponsalia clandestina sunt valida, et per se licita: nam nullibi irritantur, vel prohibentur, tanquam illicita; neque sunt via ad matrimonium clandestinum, sed publicum coram Parocho et testibus ineundum. Consultius autem fiunt sponsalia publica coram testibus, ut facile probari possint: secus conficienda erit scriptura super illis contractis: epistola verò, nisi sit confessata, non probat; uti nec litteræ amatoris, quæ solam præsumptionem de se levem faciunt.

5. Q. III. *An, et quæ pacta adjici possint sponsalibus?*

R. 1.^o *Arrha* de utroque jure licitè apponitur sponsalibus; nam jure

Can. nullibi reprobatur: jure verò civili *l. 3. 5. C. hoc. tit.* expressè permittitur arrharum constitutio. Nomine *arrhæ* objectivè sumptæ venit illa res mobilis, vel immobilis, quæ à sponsis vel eorum parentibus datur, quasi pignus in securitatem futuri matrimonii, sicut in aliis contractibus. Jam si quis ex sponsis justè resiliat à sponsalibus, arrha non duplicatur, ne quis ob justum factum puniatur, sed justè resiliens, si arrham accepit, eandem restituit, vel suam repetit: si verò non accepit, ad nihil tenetur. At si quis injustè resiliat, arrha duplicatur, hoc est, accipiens arrham tenetur eam restituere, et alterum tantum dare. Arrhæ quadruplicatæ, v. g. ut qui accepit 100 pendat 400, admittuntur ex speciali conventionione: ultra quadruplum verò nequeunt augeri, *cit. lib. 5. C. hoc. tit.*, ubi tamen minor, si veniam ætatis non impetravit, excusatur ab excessu arrharum, et solùm ad arrham, si quam accepit, restituendam obligatur. Item pater, si per eum non stet, quominus filius aut filia nuptias contrahant, datam à se arrham non perdit, ne alieno delicto prægravetur.—II. Excessus arrhæ ultra simplum accepti probabilius non debetur ante sententiam judicis, nisi aliud inter sponsos convenerit: ita Sanch. cum citt. contra Covar., Menoch etc., volentes duplicationem vel quadruplicationem arrhæ in conscientia deberi, saltè conditionatè, si pars altera exigat. Ratio est, quia ille excessus vim habent pænæ; hæc autem regulariter non debetur, nisi post sententiam judicis, licèt sit pœna conventionalis, si aliter non sit conventum.—III. Si inter sponsos nuptiæ secutæ sunt, arrhæ reputantur vel computantur in dotem, aut donationem propter nuptias; nisi aliud habeat consuetudo loci: nam impleto contractu, arrha sine causa esset penes accipientem; ergo.

2.^o Pœna moderata contra injustè resilientem licitè apponitur in sponsalibus: ita Suar., Laym., Reiff. cum citt. contra Bar tol., Covar., Wex etc. Nam talis pœna nullo jure reprobatur: non naturali, ut de se patet, cum pœna ista invitet ad actum honestum justitiæ, seu ad sponsalia implenda: non jure positivo, quia de hoc non constat; siquidem *c. 29. gemma h. t.* loquitur de sponsalibus invalidis puellæ infra septennium: vel si valida erant, puella facta viripotens ex privilegio juris, vel alia causa justè recedere potuit à sponsalibus (*c. 7. de despons. imp.*); ergo. Præterea pœna ista non minuit libertatem, sed tantum restringit temeritatem, ne quis sponsorum injustè resiliat: sicut arrha, vel pœna à iudice Ecclesiastico lata contra injustè resilientem; ergo pœna in sponsalibus licitè apponitur, sicut in aliis actionibus et contractibus (*lib. 14. ff. de pact. cap. 4. de arbitr.*) Hinc Leo Imp. in sua *Nov. 18.* statuit, *ut in sponsalibus constituta pœna solvatur, ne sponsalia sursum deorsum ferantur.*

Dices: *Cit. c. 29. h. t.* in parte dispositiva generaliter prohibetur pœna in sponsalibus, uti etiam in *l. 134. ff. de V. O. et l. 5. C. h. t.* ibi in fine: *si cautio penam etc.*

R. *Cit. c. 29.* dispositio generalis ponitur pro omnibus similibus casibus, quibus justè resilitur à sponsalibus; et tunc non esse locum pænæ ultrò fateor. *Cit. l. 134.* liberi sponsalia à parentibus facta non ratificantur; et ideo stipulatio pænæ eis adjecta non valet. *Cit. l. 5.* reprobatur

tur pœna indifferenter posita contra justè vel injustè resilientem. Imò veriùs puto ibi corrigi jura antiqua civilia, secundùm quæ, soluta pœna, potuit quis resilire à sponsalibus et matrimonio jam contracto (l. 44. C. de nuptiis l. 2. et seqq. ff. de divort.) Et hoc modo stipulatio pœnæ sponsalibus adjecta est omninò turpis. Opposita sententia est practicè tuta, eamque sequi potest, et judex in foro externo, et confessarius in foro interno, reum non condemnando ad pœnam promissam.

3.º Pœna latè talis de lucro perdendo, aut non acquirendo, rectè ab extraneo apponitur sponsalibus, ut si testator leget 100 Cajæ, si Titio nupserit; nam in tali casu sit liberalis promissio sub conditione certarum nuptiarum; ergò si conditio deficiat, etiam deficit promissio. At similis pœna adjecta ab ipsis contrahentibus, reprobatùr à Jure, quia præsumitur amore libidinis facta (lib. 97. §. 2. ff. de V. O.); ut si Caja dicat: *si me uxorem duxeris, hanc villam tibi dabo*. Excipe, nisi talis donatio sit onerosa ex causa dotis vel donationis propter nuptias.

4.º Sponsalitia largitas seu donatio, quam sponsi sibi mutuo faciunt ob causam futuri matrimonii, secuto matrimonio, manet accipienti. Si culpa donantis non sequantur nuptiæ, sponsalitium donum manet donatario: si verò culpa donatarii non sequantur nuptiæ, is donum reddere tenetur: si tandem neuter sit in culpa, quominùs matrimonium sequatur, utrinque sit restitutio: sponsa tamen, si sponsus ei osculum dedit, med'etatem doni sponsalitiu lucratur (l. 45. 46. C. de donat. int. nupt.) Hæc sponsalitia largitas aliter vocari solet *forale* seu *joculum*, *mundis muliebris*, et *dotalitiu* vel *donatio ante nuptias*, licèt voces istæ etiam alias significationes habeant. Circa *proxeneticum*, quod datur proxenetæ seu conciliatori nuptiarum in remunerationem industriæ adhibitæ, servatur consuetudo vel conventio; idque speciale est, quòd proxeneta conveniri nequeat, quamvis liberaliùs, quàm verum erat, depinxerit qualitates et facultates sponsi aut sponsæ (l. 2. ff. de proxen.)

5.º Pactum de habitando vel non habitando in certo loco, rectè apponitur sponsalibus, et contractis nuptiis, servari debet; nam tale pactum de se non est illicitum, neque contrariatur matrimonio. Excipe, nisi emergeret justa causa discedendi, antea non prævisa; ut si supervenirent capitales inimicitia, insalubritas aeris etc.; tunc enim uxor teneretur sequi maritum aliò discedentem.

6. Q. IV. *Quid sit effectus sponsalium?*

R. 1.º Duplex præcipuus:—I. Obligatio gravis justitiæ ad contrahendas nuptias, et consequenter impedimentum impediens juris naturalis, ne matrimonium licèt cum tertio contrahatur: ita *Can. 27. 30. et fin. 27. q. 2. c. 2. 40. et c. h. t. c. 4. de spons. duor.* Quibus juribus corrigitur jus civile *lib. 4. C. hoc tit.*, ubi permittitur renuntiare sponsalibus et cum alia contrahere, licèt talis sponsus ob hoc notetur infamia (*lib. 13. §. 3. ff. de his, qui notant. infam.*)—II. Impedimentum publicæ honestatis, de quo infra, et jure veteri, ubi Trid. non viget, sponsalia per copulam firmata transeunt in matrimonium (*c. 45 et 30. hoc tit.*) Nam est præsumptio juris et de jure, copulam istam factam esse affectu conjugali, ad ex-

cludendum peccatum fornicationis: si tamen copula habita est affectu fornicario, cessat præsumptio ista pro foro interno, licèt in foro externo nulla probatio, saltèm directa in contrarium admittatur.

2.º Dies obligationis sponsalitiæ, cujus impletoni nullus terminus præfixus est, statim cedit, et venit à tempore initorum sponsalium; nam *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentì die debetur.* (l. 44. ff. de R. J.) Neque ratio est, cur sponsalia implenda sint post unum aut plures menses, et non post diem. Hoc tamen moraliter accipe, sicut in aliis contractibus, ex quibus præsentì die debetur, puta intra competens spatium temporis, quia etiam stipulator non statim eadem die cum sacco venire debet pro pecunia (*lib. 405. ff. de solution.*) Opposita sententia Navarri, Sanchez etc. docens, obligationem sponsalium non urgere, nisi altera pars ex'gat eorum impletionem, est practicè probabilis et usu firmata: Parocho tamen incumbet cura, ut sponsalia quantociùs in effectum deducantur, præsertim si altera pars ex verecundia vel alia causa non audeat exigere impletionem sponsalium.

3.º Renuens absque justa causa implere sponsalia, à judice Ecclesiastico monendus est, et prout prudentia dictaverit, etiam aliis pœnis et censuris compellendus ad eorum impletionem: ita *c. 10. h. t. et cap. 2. 47. eod.*, ubi tamen monetur Episcopus, ut si viderit excommunicationem nihil prodesse propter pertinacem resilientis contumaciam, à censura abstineat, et inflictam revocet; quia tolerandum est potiùs minus malum, ne majus sequatur ex matrimonio coacto. In hoc tamen casu parti nocenti salubriter alia pœna infligi poterit, cum violetur justitia in re gravi, et legitimo præcepto superioris non pareatur.

4.º Fides sponsalium probabiliter violatur per fornicationem alterius ex sponsis; et consequenter talis fornicatio præter speciem luxuriæ continet etiam speciem injustitiæ necessariò in confessione exprimentam: ita Sarmient., Schmalz. etc. contra Covar., Henriq. et alios. Nam juxta *cap. 25. de jurejur.* fornicatio ista est contra regulam desponsationis; siquidem violat jus ex sponsalibus quæsitum de corporis usu non alteri, sed sibi tradendo; ergò. Opposita sententia etiam est practicè probabilis, quia per sponsalia non videtur acquiri aliud jus, nisi ad contrahendum matrimonium, quod jus per fornicationem non læditur. Multò minùs fornicatio sponsæ est adulterium, cum non sit violatio thori alieni.—Nec obstat *lib. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adulter.*; nam ibi sola accusatio, seu vindicatio sponsæ fornicantis permittitur ob injuriam sponso illatam; non verò talis fornicatio dicitur esse adulterium propriè tale.

7. Q. V. *An, et quibus modis sponsalia dissolvi possint?*

R. 1.º Sponsalia, cum ex natura sua non inducant aliquem statum fixum et stabilem, dissolvi possunt sicut alii contractus humani, non tantùm morte naturali, quæ omnia solvit, sed pluribus aliis modis, ut mutuo consensu, fornicatione alterius sponsi, susceptione Ordinis sacri, professione religiosa etc., de quibus hic ordine dicam.

2.º Sponsalia, etiam jurata, licèt juramentum præstitum sit non solum in favorem partis, sed etiam principaliter intuitu pietatis, v. g. erga pau-

perem puellam, mutuo consensu partium dissolvi possunt, ex *reg. 4 in antiq.*; quia nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est (*l. 35. ff. de R. J.*); et favori suo quisque etiam puella pauper renuntiare potest, ex *reg. antiqua l. pen. C. de pactis*. Ut verò dissolutio ista honestè et licitè fiat, requiritur justa causa; alioquin sponsi non erunt sine culpa, si temerè, ex levitate, ira et alia passione sponsalia solvant: quo sensu procedit *c. 2. h. t.*

Dices: S. D. 2. 2. q. 89. a. 9. ad. 2. dicit: quòd promissarius non possit re mittere juramentum intuitu pietatis factum, seu principaliter in honorem Dei; ergò neque puella pauper tale juramentum remittere poterit.

R. S. D. loqui pro illo casu, quo res juramento promissa non cedit tota in utilitatem ejus, cui juratum est: ut si quis alicui juraret, quòd certam Religionem ingrediatur, Ecclesiam ædificabit etc.: at hic tota sponsalia cedunt in utilitatem puellæ pauperis, cui utique renuntiare potest, ut colligitur ex posterioribus verbis S. D. *loc. cit.*

3.º Fornicatio non tantum sponsæ, sed etiam sponsi, dat parti innocenti justam causam resiliendi à sponsalibus: ita comm. ex *cap. 25 de jurejur.* Quod, licet expressè loquatur de sponsa fornicante, tamen comprehensive intelligitur de sponso fornicante: tum quia ratio utrobique est eadem, quod pars fornicans veniat *contra regulam desponsationis*, et frangeat fides non sit servanda; tum quia sponsus et sponsa in hoc puncto non debent ad imparia judicari, sicut maritus et uxor adulterantes. Si autem pars innocens velit stare sponsalibus, non licet parti nocenti resiliere, ne commodum ex delicto suo referat, et detur occasio sponsalia fornicationibus dissolvendi.—II. Si sponsus et sponsa cum tertio fornicentur, probabilius uterque resiliere potest à sponsalibus: ita Palao, Wiestn., Schmalz. et alii contra Palud., Schmier et alios docentes, neutrum posse resiliere, et contra Sanchez, Pichler etc. docentes, sponsum resiliere posse, non verò sponsam, quia in hac præter delictum fornicationis, in quo par est sponso, etiam altera causa est specialis turpitudinis; nam causa sufficiens resiliendi est violatio fidei sponsalitiæ (*cit. c. 25. de jurejur.*), et rationabilis timor atque diffidentia de observanda olim fide conjugali; sed hæc causa manet, etsi uterque sponsus fornicetur; ergò utrique resiliere licet.—Nec obstat, quòd sponsus alteram causam resiliendi habeat: sufficit enim sponsæ una causa principalis, scilicet fides sponsalium fracta, et diffidentia de fide conjugali; sicut uxori sufficit adulterium mariti, ut ob hoc divertere possit, licet major sit turpitudine uxoris adulterantis.—Nec pro secunda sententia facit *l. 10. §. 2. ff. de compens.*, quòd paria delicta mutua compensatione tollantur. Nam lex ista procedit de compensatione civili pecuniaria, ut si tibi feci damnum 100, et tu mihi damnum 100, delicta ista mutuò civiliter compensamus; at in nostro casu locum non habet; quia positò æquali delicto fornicationis, non tollitur causa resiliendi, puta diffidentia de fide conjugali.—III. Si sponsa per vim corrupta est, dat causam resiliendi, quia notabiliter evadit deterior et turpior (*Can. 33. raptor. 27. quæss. 2.*), et quamvis idem videretur dicendum de sponso per vim corrupto, tamen oppositum est probabilius; quia sponsus per hoc non fit vilior, nisi

forsan sodomiticè corruptus foret.—IV. Tactus impudici, oscula et similes actus à sponsa admissi dant sponso causam sufficientem resiliendi; nam talis sponsa præsumitur impudicè vivere, et sponsus sine dedecore eam ducere nequit. Secus est in sponso, qui per tales actus cum alia femina commissos regulariter non fit vilior neque dedecus, vel infamiam sponsæ infert, nisi actus isti essent frequentes, qui generarent diffidentiam de fide conjugali: tunc enim essent sponsæ causa sufficiens resiliendi à sponso.

4.º Omnis notabilis mutatio sponsalibus superveniens, vel antecedens quidem, sed primùm post illa innotescens, est causa sufficiens resiliendi, uti est:—*Ex parte corporis* deformitas, velut amissio oculi, narium, manus, lepra, paralysis vel alius morbus incurabilis (*c. 25 de jurejur.*) *Ex parte animi*, pravi mores. crudelitas, ebrietas, scortatio, hæresis, veneficium, inimicitia capitales inter sponso aut eorum propinquos etc. *Ex parte fortunarum*, si unus vel uterque patitur notabilem jacturam bonorum, cum minùs idonei fiant ad ferenda onera matrimonii: item si parentes nolint dare dotem etc. Ratio horum est, quia sponsi præsumuntur se non velle obligare ad casus tam difficiles, sed tacitè conditionem apponunt: *si res in eodem statu permaneant*. Idem dic, si talis causa antea existens, v. g. morbus gallicus, primùm post sponsalia innotescat, quia in jure paria sunt non esse, et non apparere (*l. 30. ff. de testam. tutel.*); unde sponsus, qui cogitavit se contrahere cum virgine, si primùm post sponsalia innotescat, eam esse corruptam vel viduam, non tenetur eam ducere.—*Ex-cipe*, nisi sponsus, cognita notabili mutatione sponsæ, eam carnaliter cognovisset, quia hoc modo censetur renuntiare juri resiliendi, sicut maritus accedendo ad conjugem adulteram censetur injuriam condonare.—*An divitiæ insperatæ, vel nobilitas superveniens sponsalibus det justam causam resiliendi, dubitatur*. Affirmant Schmier, Wex et alii, sed probabilius negant Sanchez, König etc.; nam altera pars per hoc non fit deterior in se, neque exequitior sponsalium fit durior, nisi per accidens, quatenus offerri possent pinguiora sponsalia, quæ causa non est sufficiens resiliendi; alioquin toties recedi posset à sponsalibus, quoties alia pinguiora offeruntur.

5.º Discessus sponsi in terras remotas animo mutandi domicilium, si sponsa non consentit, dat ei sufficientem causam resiliendi (*cap. 5. hoc tit.*); nam ita discedens, ipso facto præsumitur renuntiare juri sponsalium, cum sponsa eum sequi non teneatur: unde si constet sponsum tali animo abivisse, sponsa statim convolare potest ad alia sponsalia.—II. Si sponsus abivit in terras longinquas animo revertendi, et reditus est valde difficilis, seu moraliter impossibilis, probabilius etiam in isto casu sponsa resiliere potest, sive discessus factus sit ex causa necessaria, sive voluntaria; nam sponsus hoc modo non servat debitè fidem datam, sed cedit jure suo; cum alias durà accederet sponsæ expectatio usque ad reditum sponsi, qui tam facilè reditus non speratur. Hoc tamen casu, antequam sponsa convolet ad alia sponsalia, conveniat sponsum per epistolam: et si hoc nequit, rem totam ad Episcopum referat, ejusque judicio submittat.—Nec hic obstant jura civilia (*lib. 2. C. l. 17. ff. h. l. et l. 2. C. de repud.*); nam loquuntur de perditione arrharum, si sponsa non expectavit sponsum absentem intra

provinciam biennio, extra triennio, et ex causa necessaria quadriennio; quæ dispositio trahi non debet ad resolvenda sponsalia per renuntiationem saltè tacitam.—III. Si reditus sponsi facilis sit, vel difficilis quidem, attamen si cum licentia, seu consensu sponsæ sponsus discessit, tenetur eum sponsa expectare usque ad tempus conventum finiendæ obligationi præfixum: nam ita volenti sponsæ nulla fit injuria.

6.º Lapsu termini, finiendæ obligationi præfixi, solvuntur sponsalia ex parte innocentis; nocens verò tenetur stare sponsalibus (*cap. 22. hoc. tit.*), idque probabilius verum est etiam in casu, quo alter ob moram legitimam, seu impedimentum necessarium non potuit intra terminum implere sponsalia; nam contractus ex conventionem legem accipiunt (*reg. 85. in 6.*); ergò lex seu obligatio sponsalium non porrigitur ultra terminum finiendæ obligationi præfixum.—Nec obstat, quòd impedito tempus non currat (*lib. 1. §. fin. C. de annal. except. cap. 5. de concess. præbend.*); nam licet non currat ad pœnam legalem aut conventionalem, currit tamen ad finiendam obligationem, si intra hoc tempus non fiat, quod ex conventionem faciendum erat. Opposita sententia Sanchez, Pontii etc. non videtur improbabilis pro praxi.—At si terminus præfixus sit tantùm *impiendæ obligationi*, eo elapso, manet adhuc obligatio sponsalia implendi; nam terminus hoc modo præfixus respicit solam commoditatem contrahendi, non verò inducit ablationem obligationis. Exempla obvia habes in debitore qui non solvit termino præfixo, in homine fideli qui tempore Paschali non communicavit; nam et iste tenetur deinde communicare, et ille solvere. In dubio, an terminus præfixus sit *finiendæ*, an *implendæ* obligationi, attendendæ sunt causæ et circumstantiæ. Nam si terminus præfigatur ex causa, quia parti grave est diu abstinere à nuptiis, censetur terminus præfigi finiendæ obligationi: si verò terminus præfigatur ex causa, quia videtur esse commodum tali tempore nuptias celebrare, censetur terminus præfigi implendæ obligationi. In casu, quo per utrumque stetit, quominus nuptiæ celebrarentur intra terminum finiendæ obligationi præfixum, tunc ex parte utriusque sponsalia solvuntur; nisi ambo in prorogationem termini consentirent.

7.º Sponsalia resolvuntur pluribus aliis modis, ut:—I. Deficiente, seu non impleta conditione (*cap. 3. de condit. appos.*)—II. Professione religiosa, etiam post biennium in S. J., susceptione S. Ordinis, et probabiliter voto perpetuæ castitatis ut *tit. 6. dicam.*—III. Matrimonio de præsentibus cum alia contracto: tunc enim saltè ex parte innocentis priora sponsalia pereunt (*cap. 31. hoc. tit.*)—IV. Sponsalia ab impubere contracta, solo dissensu in pubertate facto evanescent (*c. 7. de despons. impub.*)—V. Legitima dispensatione Papæ.—VI. Impedimento juris naturalis superveniente sponsalibus, uti est impotentia perpetua, quia tali casu matrimonium est impossibile. At si ex delicto alterius superveniat impedimentum juris Ecclesiastici, v. g. affinitas ex fornicatione cum consanguinea sponsæ in primo aut secundo gradu, tenetur pars delinquens, si potest citra majus suum incommodum et damnum, dispensationem petere et injustè datum obicem tollere.

8. Q. VI. *An auctoritas judicis Ecclesiastici necessaria sit ad dissolvenda sponsalia?*

R. 1.º Si adsit justa causa, et simul notoria, nullo jure requiritur talis auctoritas, sed partes privata potestate resilire possunt. Excipe, nisi speciale aliquod statutum contrarium esset in diœcesi; tunc enim sponsalia præsertim publica, ad evitandum scandalum, necessariò auctoritate Episcopi dissolvenda forent.—2.º Si causa non sit notoria aut certa, v. g. delictum fornicationis, plenè probari debet coràm Episcopo, ne per causam prætextam et incertam tollatur alteri jus certum ex sponsalibus quæsitum. Si tamen pro causa allegaretur impedimentum dirimens, sufficeret judici etiam unus testis, fama, vel propria confessio utriusque, vel unius sponsi (*argum. cap. 2. hoc. tit. cap. 10. de despons. imp. cap. 2. de consang. et affinit.*); nam ubi agitur de vitando periculo animæ, seu de peccato, minor probatio requiritur.

§ II.

De Matrimonio.

9 *Nota I.* Matrimonium, quoad nomen à *matre* et non à *patre* dici, quia in procreatione prolium, ad quam matrimonium ordinatur, magis mater attenditur, quàm pater; cùm mater semper sit certa, pater verò incertus, ipsæque proles, ante partum onerosæ, in partu dolorosæ, et post partum laboriosæ matri esse soleant, ut meritò status iste conjugalis matrimonium potius, quàm patrimonium dicatur. Aliter vocatur *consortium*, *conjugium*, et *connubium* seu *nuptiæ*; quia olim sponsæ velo, quasi nube tegebantur ob naturalem pudorem et verecundiam (*Can. 7. et seq. 30. q. 5.*)

Nota II. Matrimonium quoad rem definiri: *Viri et mulieris conjunctio legitima, individuum vitæ consuetudinem continens* (§. 1. *Inst. de patr. potest. lib. 1. ff. de rit. nupt.*) Et quidem, si *conjunctio* accipiatur casualiter seu efficienter, definitio ista competit matrimonio in fieri, prout est actualis contractus, et legis novæ Sacramentum si verò *conjunctio* accipiatur formaliter pro vinculo permanente, data definitio competit matrimonio in *facto esse*, prout est vinculum viri et mulieris, individuum vitæ consuetudinem continens. Quæ circa particulas hujus definitionis examinari possent, infra dicentur.

Nota III. Matrimonium variè dividi:—1.º In *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. *Legitimum tantùm* est, quod secundùm leges, præsertim naturales, contractum est inter personas idoneas, attamen sine ratificatione Ecclesiæ; et cons. non est Sacramentum, sed purus contractus civilis, sicut sunt matrimonia infidelium (*cap. 7. de divort. Can. fin. v. item illud, 28. quæst. 1.*) *Ratum* est, quod secundùm leges Christi contrahitur à baptizatis; et cons. ratificationem Ecclesiæ habet, estque verum novæ